



CHRIS[...] Autor,
[...]rum,

Dum [...]meus esto
[...] liber!



1.

Notandum ex hoc libro
de Melanchtone pag. -- 215
quod sit Sacramentarius
de Brentio quod iis etiam
in nonnullis faveret 220.



D. O. M. A. E. C.

Disputatio IV.

COLLEGII CORPORIS DOctrinæ Prutenicarum Ecclesiarum,

CONTINENS

Repetitionem Articuli

DE CHRISTI PERSONA.

SUB PRÆSIDIO

COELESTINI MISLENTÆ,

SS. Th. D. eiusdem, ut & Hebr. lingvæ Profess. Ordinar. Consistorii Sambiens. assessoris.

RESPONDENTE

HENRICO Schütz Butzovio-Megapolitano.

Publicè in Auditorio majori 13. Iulii habenda.

REGIOMONTI,

Typis Laurentii Segebadii, Anno 1624.



Magnifico ac Generoso
Tam ſua virtute, quàm Majorum Gloria,
Nobiliſſimo Viro

Dn.

ANDREÆ à Krentzen/

Hæreditario in Weſſelin / Weſſels-
höffen &c. Sereniſsimi Electoris Bran-
denburgici &c. &c. Supremo in
ducatu Boruſſiæ Mare-
ſchallo.

Domino ac Mecænati ſuo
Summo

In grati animi declarationem, ſuiq;
ulteriorem commendationem,
diſputationem hanc Theologi-
cam ſubmiſsè.

Offert & dedicat.

HENRICUS Schütz I.

Diſputatio IV.

De Christi Perſona.

Reſpondente Henrico Schütz Butzovio-Megapolitano.

REpetitionem articuli de Deo, tùm in unitate eſſentiæ; tùm in tribus perſonis conſiderato; rectè excipit repetitio Articuli *de Chriſto*; quippe in quo principiū ſalutare, fundamentum & origo ſalutis, & redemptionis noſtræ conſiſtit. Vbi εὐταξίας ἕνεκα, in pertractatione auguſtiſſimi hujus loci ad eadem membra, intra quorum cancellos præcedentem diſſertationem pertexuimus, ceu ad Cynoſuram polarem nobis erit reſpiciendum.

I. *Sedes Articuli de Chriſto.*

1. Deſumptus ac repetitus eſt hic Articulus *Primò* ex *Auguſt. Confeßione*, ejusq; articulo Ter-

 tio.

tio, qui sic habet: *Ecclesiæ magno consensu docent, quod Verbum, h. e. Filius Dei assumserit humanam naturam in utero B. Virginis, ut sint duæ Naturæ, divina, & humana, in unitate personæ, inseperabiliter conjunctæ, unus Christus verè Deus & verè homo, natus ex Virgine Maria, verè passus, crucifixus, mortuus & sepultus, ut reconciliaret nobis Patrem, & hostia esset non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis.* Et quæ sequuntur ex symbolo Apostolico. Confer *Apologiam Aug. Confessionis.*

Deinde ex *Articulis Schmalcaldicis* (à B. Luth. A. 1537. conscriptis instante *Concilio Mantuano*) ac in specie ex *Tertio*, & *Quarto Primæ partis* (de summis articulis divinæ Majestatis) *Tertius* articulus ita habet: *Non Pater, non Spiritus S. sed Filius homo factus est.*

Quartus verò sic: *Filius ita factus est homo, ut à Spiritu S. sine virili operâ conciperetur, & ex Mariâ purâ, Sanctâ semper Virgine nasceretur: Postea passus & mortuus est, sepultus descendit ad inferna, resurrexit à mortuis, ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei, venturus judicare vivos & mortuos. &c.*

II. SUMMA ARTICULI de Christo, prout in nostro libello pertractatur.

2. Repurgatur in hujus articuli repetitione orthodoxa doctrina I. de *Unione* Hypostatica duarum

duarum Naturarum in Christo, citra vel conversionem, vel confusionem indissolubiliter, & in perpetuum factâ ad unam personam.

II. De *communicatione Idiomatum*, ceu consequenti illius unionis: & quidem secundum *tres* distinctos gradus, vel tria genera: In quorum *primo* collocantur idiomata alterutrius naturæ, uti toti personæ competunt; & de totâ personâ prædicantur, additis tamen particulis distinctivis, naturas à confusione in Christo vindicantibus, ac liberantibus.

In *Secundo* recensentur Idiomata utriusq; Naturæ ad Officium Christi concurrentia, idq; exprimentia, ex declaratione *Synodi Chalcedonensis* de actionibus Dei virilibus.

In *Tertio* recensentur dona Majestatica, Christo secundum humanam Naturam à λόγῳ communicata.

III. De *Statibus Christi* secundum Humanam Naturam, nimirum 1. *Exinanitionis* & 2. *Exaltationis*.

3. *Antithesin* quod attinet, ea *partim* in occasione: *partim* per porismata in quibusdam membris pertexitur incidenter passim.

Nos tamen membris peculiaribus eam expediemus: Etenim ordinis causâ, præsentem materiam tribus disputationibus pertractabimus.

In *priore*, quæ est in ordine *Quarta*, agemus de Christi persona; In *Secunda*, quæ erit

in ordine *Quinta*, de Christi *officio*; In *Tertia*, quæ erit *Sexta*, de Christi *statibus*: tum θετικῶς; tum ἀντιθετικῶς.

4. Quâ verò occasione repetitum huncce articulum voluerint auctores antehac commemorati; ex prologo luculentèr patescit, ubi Hæretici commemorantur, qui augustum hunc articulum fœdissimè conspurcarunt; de quibus Deo volente in Antithesib. uberius monendum erit.

III. Exegesis Theseos de Christi Persona.

5. Ad pleniorem Theseos explicationem de Christi Persona, agendum erit; paucis tamen 1. de Christi *appellationibus*. 2. de Personæ Christi *descriptione* reali 3. de *duabus* Christi Naturis. 4. de Naturarum *Vnione Hypostaticâ*. 5. de *Consequentibus* Vnionem, adeoq; de communicatione 1. *Hypostaseos*. 2. *Naturæ* Divinæ, & Humanæ (nec non de propositionibus personalibus) 3. *Idiomatum* utriusq; Naturæ. Hisce namq; membris Consideratio Christi personæ absolvitur.

De Primo.

6. Appellationes Christi apud varios auctores occurrunt variæ, quas diligenter collegit, & nuper publici juris fecit Dn. *Salom. Glaßius* SS. Theol.

Theol. Lic. & in Acad. Ienens. P. P. quò etiam Lectorem remittimus. Nos compendio rem persecuturi, sic Nomina Christi partimur.

7. Christi Nomina sunt vel *Hagiographica*, vel *Ecclesiastica*, vel *Iudaica*.

8. Nomina Christi *Hagiographica* Personæ & Officii respectu desumuntur.

Primo ex officio Christi *in genere*. Et sic vocatur 1. *Christus* non παρὰ τὸ χρώομαι ut vult Justinus Apol. 2. pro Christ. sed παρὰ τὸ χρίω ab ungendo Joh. 1. v. 41. Hebræis משיח Messias à משח unxit. Sicut enim Reges & Sacerdotes in V. T. solenniter inaugurandi oleo ungi solebant, ceu typi Christi: sic quoque Christus vel Messias noster, illorum Antitypus unctus est oleo lætitiæ vel Spiritus Psal. 45. v. 8. Esa. 61. v. 1. Dan. 9. v. 24. Act. 10. v. 38. Heb. 1. v. 9. (Notentur heic Axiomata:

1. *Christus unctus est oleo non externo; sed interno spirituali* h. e. ipsius Spiritus S. donis.

2. *Vnctio illa non est ad redemptionis officium destinatio, sed potius Spiritus S. donatio & collatio. Illa* n. facta est ab æterno, hæc in tempore. Illa concernit Christum quoad utramq; naturam, *hæc* quoad Humanam. Nam

3. *Vnctio hæc facta est non secundum divinam, sed secundum humanam naturam.*

4. *Vnctio hæc est facta sine mensura* Joh. 3. v. 34. Hebr. 1. v. 9. ex Psal. 45. v. 8.

5. *Christus* συναμφότερον νοεῖται h. e. *consignificativum duarum naturarum Athan.* orat 5. *contra Arrian.* & de salutar. adventu Christi. *Vel* Christus est persona σύνθετος h. e. composita: Nam ante incarnationem erat persona increata & simplex: post incarnationem vero non simpliciter increata, nec simpliciter creata; neq; μερικῶς creata; μερικῶς v. increata; sed ὁλικῶς increata, & creata simul; *Una* est persona, & eadem antè, & post incarnationem; sed non *Uniusmodi.*

6. *Christi appellatio est totius Trinitatis professio:* Innuuntur namq; tres personæ Deitatis 1. Pater ut ungens 2. Filius ut unctus 3. Spiritus S. ceu unguentum ex Joh. 3. v. 34.

7. *Christus est legis finis; objectum totale, & adæquatum; imò centrum Evangelii. Finis* quidem Legis, quia Lex nos ducit ad Christum ceu Pædagogus Rom. 10. v. 4. Gal. 3. v. 24. *Objectum* v. istiusmodi, quia est thesaurus Ecclesiæ & margarita pretiosissima; *Centrum* deniq;, quia universa peripheria salutis, à Christo incipit, per eum procedit, in eoq; desinit.

II. Vocatur *Iesus* ab Hebr. ישע h. e. salvare: Hinc ישועה salus: & ישוע Salvator Matth. 1. v. 21. 2. Petr. 1. v. 11. Græcis dicitur Σωτὴρ h. e. *Servator* uti plera pars Criticorum reddit latinitatis studio: Ast judice *Tullio* latinis nulla datur vox propria & genuina, exprimens græcum terminum. Denotat n. plus quàm vel *Servatorem*

vel

vel *Salvatorem*; Salvatoris tamen nomen magis ad rem facit: Unde nos etiam interpretamur Nomen Σωτῆρος per Salvatorem. (Axiom.

1. *Nomen Iesus est cœlitus delatum*; Ideoq; novum *tum* ratione significationis; *tum* ratione συνθήκης singularis ob terminũ à *quo* & *ad quem*.

2. *Nomen Iesus beneficia Christi ferè omnia* συντόμως *&* ἐπιτομικῶς *complectitur* Complet a. beneficia per hoc nomen suum Christus respectu *nostri* 1 *imputitavè* 2. *inchoativè*, 3. *effectivè* & 4. *Consummativè*.

3. *In nomine Iesu omne genu flectendum* Philipp. 2. v. 10.

III. Vocatur *Immanuel* h. e. nobiscum Deus Es. 7 v. 17. Matth. 1. v. 23. & Ithiel h. e. mecum Deus Prov. 30. v. 1.

IV. *Siloh* Gen. 49. v. 10. q. d. filius secundinæ. V. *Angelus* Gen. 32. 30. Ex. 3. 2. *Angelus faciei* Esa. 63. 9. Angelus *Testamenti* Mal. 3. v. 1. VI. *Reconciliator* Rom. 3. v. 25. VII. *Mediator* Dei & hominum 1. Tim. 2. v. 5. Novi T. Heb. 9. v. 12. 24. IIX. *Advocatus* Rom. 8. v. 35. 1. Joh. 2. v. 1. 2. X. *Liberator* ὁ ῥυόμενος, καὶ ἀποστρέφων ἀσεβείας ἀπὸ Ιακώβ. Rom. 11. v. 26. XI. *Mirabilis* XII. *Consiliarius*. XIII. *Deus fortis* XIV. *Pater seculi*. XV. *Princeps pacis* Es. 9. 5. XVI. *Ieh. justitia* nostra Jer. 23. 8. & 33. 4. XVII. *Semen Mulieris* Gen. 3. v. 15. XIIX. *Vir* Jer. 31. 9. Ad hanc Epithetorũ Classem pertinẽt nomina Christi. 1. *Typica*, & sic vocatur

aliquoties Christus *David* Ezech. 37. v. 24. Os. 3. v. 5. 2. *Agnus* Ioh. 1. v. 29. 1. Pet. 1. v. 19. Apoc. 13. v. 13. c. 19. v. 9. 3. *Pascha* 1. Cor. 5.

II. *Metaphorica*, & sic vocatur 1. *Leo de tribu Iuda* Apoc. 5. v. 5. 2. *Radix Iessæ* Esa. 11. v. 1. 3. *Radix* David Apoc. 5. v. 5. 4. *Lapis* anguli Esa. 28. v. 16. Psal. 118. v. 22. Rom. 9. v. 33. 1. Pet. 2. v. 5. 6. 7. 5. *Lapis offendiculi* v. 8. 6. *Fundamentum* 1. Cor. 3. 11. Ephes. 2. v. 20. 7. *Lux mundi* Iohan. 1. v. 4. c. 8. v. 12. Luc. 2. v. 32. Act. 26. v. 23. Esa. 42. v. 6. c. 49. v. 6. c. 60. v. 1. Ephes. 5. v. 14. 8. *Fœdus populi* Esa. 49. v. 8. 9. *Pastor unus, Bonus, Magnus* Ezech. 34. v. 23. c. 37. v. 29. Ioh. 10. v. 11. Hebr. 13. v. 20. *Summus Pastor*. 1. Pet. 5. v. 4. 10. *Sponsus* Ioh. 3. v. 29. Apoc. 19. v. 9. Matth. 9. v. 15. 11. *vitis* Ioh. 15. v. 1. 4. 5.

III. *Metonymica*, & sic Christus vocatur *Iustitia, sapientia, Iustificatio, redemtio*. 1. Cor. 1. v. 30. & *pax nostra* Ephes. 2. v. 14.

10. Deinde quædam nomina Christi desumuntur ex Officio ejus *in specie*: quod quia triplex est; totuplex etiam nominum Christi dari poterit classis.

11. Ad *primam* classem referuntur nomina Officium Christi *Regium* denotantia, & sic vocatur 1. *Rex*. Esa. 33. v. 22. Os. 3. v. 5. Luc. 1. v. 33. Psal. 2. v. 6. Psal. 24. Psal. 72. v. 1. Zach. 9. 9. Matth. 21. 5. c. 25. 40. 2. *Princeps* & *Dux* Esa. 9. v. 6. Dan. 9. v. 25. Es. 55. v. 4. 3. *Dominator* Mich. 5. v. 1. Malach. 3. v. 1. Matth. 2. v. 6. 1. Cor. 2. v. 8. Heb. 2. v. 1. 4. *Dominus noster* passim Ioh. 13. v. 13. 14. Rom. 1. v.

4. 1.

4. 1. Cor. 8. v. 6. 5. *Caput Ecclesiæ* Ephes. 5. v. 23. Col. 1. 18. 6. *Hæres omnium* Heb. 1. v. 2. Marc. 12. v. 6. 7. 7. *Iudex.* Es. 33. v. 22. Joh. 5. v. 27. 8. *Princeps, & Consummator fidei, & salutis nostræ* 1. Pet. 1. v. 21. 2. Pet. 1. v. 1. Hebr. 2. v. 10. c. 12. v. 2. 9. *Auctor vitæ* Act. 3. v. 15. 10. *Causa salutis æternæ* Heb. 5. v. 9.

12. *In secunda* Classe collocantur nomina ad Christi officium *Propheticum* pertinentia: & sic vocatur disertè *Propheta* Deut. 18. v. 16. 2. *Præceptor* Es. 55. v. 4. c. 42. v. 6. c. 49. v. 1. 2. c. 61. v. 1. 3. *Rabbi* Matth. 23. v. 8. (& quidem unus) Ioh. 13. v. 13. 4. *Legislator* Es. 33. v. 22.

13. Ad *tertiam* Classem referuntur nomina Christi officium *sacerdatole* indigitantia, & sic vocatur 1. *Sacerdos* in æternum Psal. 110. v. 4. *Pontifex* fidelis Hebr. 2. v. 17. *Magnus* c. 5. v. 10. futurorum bonorum c. 9. v. 10. 2. *Apostolus & Pontifex Confeßionis* nostræ Hebr. 3. v. 1. 3. *Administrator* Sanctorum Heb. 8. v. 2. 4. *Reconciliator* Es. 60. v. 10. 2. Cor. 5. v. 19. Col. 1. v. 19. 5. *Advocatus* 1. Ioh. 2. v. 2. Hebr. 7. v. 15. 6. *Intercessor* Rom. 8. 34. 7. *Propitiatorium* Rom. 3. v. 25. 8. *pretium redemtionis* pro omnibus 1. Tim. 2. v. 6.

14. Inter nomina Christi *Ecclesiastica* præcipuum est θεάνθρωπος & ἀνθρωπόθεος h. e. Deus Homo; vel Homo Deus, ob duarum naturarum, divinæ, & Humanæ in Christo unionem ad unam personam. plura non occurrunt.

15. *Iudaicæ* Christi appellationes recensen-

tur

tur in Talmud Codic. Pesachim. c. 4. Cod. Nedarim c. 4. & Codic. Sanhedrin. c. 11. quinq; sequentes præter nomen Messiæ 1. ינון Innon ex Ps. 72. v. 17. juxta Scholam Rabbi Ianna 2. שילה Schilo juxta Scholam Rabbi Schela ex Gen. c. 49. v. 10. 3. חיורא Leprosus ex Esa, c. 53. 4. חנינא Gratiosus 5. מנחם Consolator, quæ omnia ex sacris deprompta.

De Secundo.

16. Cum Christi definitio non possit dari exacta; descriptione qualiquali contentos nos esse modestè, ac piè decebit. Succinctior autem, ut & rotundior vix ulla alia dari poterit, quàm quæ extat apud Varinum Phavorinū in hæc verba: χρισός ἐςι θεάνθρωπος χωρίς ἁμαρτίας, μεσίτης θεȣ̃, καὶ ἀνθρώπων: h. e. Christus est Deus & homo sine peccato, Mediator Dei, & hominum. Ubi & Christi Persona, & ipsius officium optimè exprimitur; id quod imprimis in definitione Christi attendendum.

17. Unde sequitur 1. Christum heic considerari ut personam compositam; non tàm partium, quàm quidem numeri respectu.

2. Christum esse personam unam, vel unicam. Siquidem Mysterium unionis non potuit peragi nisi ab eo, qui esset Deus, & homo in unitate personæ. Hinc vocatur Christus unus Dominus 1. Cor. 8. v. 6 Ephes. 4. v. 5. unus mediator Dei, & homi-

hominum 1. Tim. 2. v. 5. 6. *unus* Magister Matth. 23. v. 8. *Vnus Pastor* Eccles. 12. v. 13. *Vnus homo* Rom. 5. v. 15 17. *Vnus* Vir 2. Cor. 11. v. 2. Vide *Damasc. lib.* 3. orthod. Fid. c. 3. & 9. c. 11 c. 14. 15. 17. 19.

3. *In Christo igitur non est ἄλλος κὶ ἄλλος;* alius atq; alius; sed ἄλλο κὶ ἄλλο h. e. aliud & aliud, sive: *est diversitas naturarum; non personæ.*

De Tertio.

18. Christum personam esse compositam ex Deitate, & Humanitate, modò dictum fuit: ordinis itaq; ratio efflagitat, ut tùm de Divinâ; tùm Humanâ Christi naturâ hocce membro disseratur.

19. Et quod *Divinam* quidem Christi naturam attinet; præcedenti disputatione eandem demonstravimus. Hoc loco id solummodo notetur: *Naturam Divinam* Christi heîc considerari non ἁπλῶς vel *absolutè*; sed σχετικῶς S. *relatè*, tàm respectu *hypostaseos*, quàm *Oeconomiæ*. *Ratio*; Aliter n. Deitas Christi consideratur in *Naturâ* suâ, aliter etiam in *Personâ* suâ. Ibi consideratur *absolutè* prout communis est Patri & Spiritui S. Heîc v. consideratur *relatè*, adeoq; prout est charactere hypostatico determinata. Pariter Naturæ divinæ consideratio *alia* est *καθ' ἑαυτὴν per se* ac in se; *alia καθ' οἰκονομίαν* per *dispensationem*. *Illa* fit ratione *essentiæ τȣ̃ λόγȣ*: *Hæc* ratione gratiosæ

tiosæ & salvificæ *dispensationis*, qua Christus non est amplius persona simplex; sed composita h.e. θεάνθρωπος. Utroq; modo Filius à Patre & Spiritu S. distinguitur.

20. Humanæ Naturæ in Christo probatio est longè facilior, vel ideo, quod præter veteres Hæreticos, hodie paucissimi amplius reperiantur, qui Christum verum esse hominem negatum eant; imo ne Turcis & Iudæis exceptis.

Nolumus itaq; in hoc argumenti genere esse prolixiores, lectorem remittentes ad Exegesin Dn. *Menzeri* A. C. ubi *quintuplici* argumentorum classe thema hocce pertractat art. 3. p. 101. 1. ab *appellationibus* 2. *Definitione hominis* reali 3. ex *partibus* hominis essentialibus S. ex corpore & anima rationali. 4. *proprietatibus* humanæ Naturæ. 5. ab *operationibus*.

21. Porro humana Christi natura aliis terminis æquipollentibus exprimitur in Sacris, vocatur n. *caro* Ioh. 1. 14. *Caro & sanguis* Heb. 2. v. 14. Item in concreto *Homo* 1. Tim. 2. v. 5. Ioh. 10. v. 33. vel Filius *hominis* Dan. 7. v. 13. Matth. 8. v. 20. c. 16. v. 13. c. 18. v. 11. c. 20. v. 18. c. 24. v. 27. 30. 37. c. 25. v. 13. 31. Ioh. 5. v. 27. Semen *mulieris* Gen. 3. v. 15. Semen *Abrahæ* Gal. 3. v. 16. Hebr. 2. v. 16. Filius & fructus *ventris Davidis*. Matth. c. 20. v. 30. 31. c. 21. v. 9. c. 22. v. 42. 2. Sam. 7. v. 12. Psal. 89. v. 36. Psa. 132. v. 11. Matth. 1. v 1. Luc. 20. v. 41. Act. 13. v. 23. Rom. 1. v. 9. 2. Tim. 2. v. 8. *Leo de tribu judâ* Apoc. 5. v. 5. *Virgultum* Radicis Iessæ; *Radix Iessæ* Es. 11. v. 1. c.

42. v.

42.v.1.c.53.v.2. Apoc.22.v.16. *Radix David & Genus* Apoc.22.v.16. *Sanctum Sanctorum* Dan.9.v.24. *Vir.* Act.2.v.22.c.17.v.31. Hisce pleriq; ex Calvinianis addunt *Formam* servi ex Philipp.2.v.8. sed *nimium ineptè*; uti infrà patebit. Adscribemus ad pleniorem Membri hujus explicationem Axiomata:

1. *Humana Christi natura consideranda est, non ut tota massa humana; sed ut particula ex illâ maßâ.* h. e. certa natura ex semine Virginis Sanctificata à Spiritu S. *Damasc.* l.3.O.F.c.2. & 6.

2. *Humana natura Christi non est consideranda ut* καθόλȣ, *ceu* universale quid; nec ἐν τῷ εἴδει, ceu species; sed ἐν ἀτόμῳ, vel τόδε τι h. e. ut *Individuum.* Ratio: Assumsit n. λόγος humanam naturam certam; non v. quatenus in Idea omnibus est communis. *Damasc.* l.3.c.11.

3. *Humana Christi natura est nobis* ὁμοȣ́σιος, ϗ̀ ὁμοφυής h. e. similis, vel ejusdem essentiæ cum nostra. *Duplici* tamen cum limitatione 1. quod similitudo, vel ὁμοȣσία illa sit intelligenda quoad φύσιν s. *Naturam* vel *Essentiam*, non v. quoad ὑπόςασιν *subsistentiam*: Assumsit n. filius Dei non personam; sed naturam humanam 2. quoad *defectum* peccati: nam filius Dei assumsit Humanam Naturam expertem omnium defectuum moralium, omnisq; peccati Heb. 4.v.15. c.7.v.26.c.9.v.28.1.Ioh.3.v.5.1.Pet.2.v.22.ex Es. c.53.v.9. Confer. *Damasc.* l.3.c.12. & 13. *Confeß.*

Chalce.

Chalcedon. & *Athanas.* tract. de definit. ubi docet: Christum ratione humanitatis esse nobis ὁμοούσιον, ὁμογενῆ, συγγενῆ, ὁμοφυῆ, καὶ ὁμόφυλον: obnoxiam v. defectibus naturalibus, non quidem ex *necessitate*, sed ex *liberrimâ voluntate* ad opus redemtionis expediendum. Hinc *Damasc.* l. 3. c. 18. πάντα, inquit ἀνέλαβεν, ἵνα πάντα ἁγιάσῃ h. e. *omnia assumsit, ut omnia sanctificaret.* B. *August.* Serm. 145. de Temp. *Totum suscepit; totum liberavit.* Et *Ambros.* l. 2. de fide c. 4. *Mihi prodest scire, quia propter me suscepit Christus infirmitates meas.* Ratio: quia λόγος non assumsit naturam humanam in statu *innocentiæ*, qualem quidem Adam habuit ante Lapsum; sed in statu *miseriæ* omnibus passionibus subjectam, quales sunt fames, sitis, algor, defatigatio, dolores, languores, mortalitas, ignoratio, timor, tristicia, fuga mortis &c.

DE QVARTO.

22. Contemplati sumus utramq; Christi Naturam; agemus etiam paucis. *de unione* naturarum hypostatica. Præsupponimus a. eam non esse *accidentalem*, adeoq; nec κατὰ παράθεσιν *appositionem*, nec σχέσιν secundum aliquem *respectum*; sed *realem* ac *substantialem*, κατὰ συνδύασιν dictam (ubi tamen removemus συνδύασιν ὀνοματώδη conjunctionem nominalem, quà alterius

terius subjecti proprium non realiter; sed nominetenus alteri tribuitur: unde totum ejusmodi dicitur non οὐσιῶδες essentiale, vel ὑποστατικὸν; sed vel τῷ πάθει affectu; vel τῇ συνεχείᾳ comprehensione, & contactu, adeoque κατὰ συμβεβηκὸς) adeoq; per se.

23. Quoad *definitionem* Unionis hypostaticæ, varia à variis affertur: apud *Patres triplex* occurrit. *Prima* apud *Athanas.* in symbolo, quod sit πρόσληψις ἀνθρωπότητος εἰς θεότητα, *assumtio humanitatis in Deitatem*: in quâ multi nonnulla desiderant: Nam assumtio est causa Unionis 2. quia Unio est reciproca, non autem assumtio: Et provectio est assumti, non v. utriusq; uniti. 3. quia unio est *perpetua*, non a. *assumtio*, quippe transiens & momentanea. *Secunda* apud eundem *Athan.* in tract. de *defin.* in hæc verba: ἕνωσις καθ' ὑπόστασιν ἐστιν ἡ αὐθύπαρκτος ἐν τῇ μήτρᾳ τῆς ἁγίας Θεοτόκου τῶν δύο φύσεων συνδρομή: *Unio Hypostatica est per se subsistentialis concursus duarum naturarum in utero B. Deiparæ.* Quam descriptionem iisdem verbis repetit *Varinus* in Lexico suo. *Tertia* reperitur apud *Suidam*, quæ sic habet; ἕνωσις ὑποστατικὴ ἐστιν ἡ τὰς διαφόρους οὐσίας, ἤγουν φύσεις, εἰς ἓν πρόσωπον, καὶ μίαν, καὶ τὴν αὐτὴν ὑπόστασιν συνάγουσα, καὶ συνδέουσα. h. e. Unio *hypostatica est quæ differentes substantias vel naturas in unam personam, & unam eandemq; subsistentiam congregat & combinat.*

24. Nos

24. Nos allatas descriptiones suo relinquentes loco nostram hancce damus: *Vnio Hypostatica, est conjunctio substistentialis, quâ filius Dei humanam naturam in personam suam assumsit, cumq; eâ unum ὑφιστάμενον constituit, salutis nostræ perficiendæ gratiâ.*

25. Vix accurata & perfecta definitio unionis Hypostaticæ dari poterit: assignatam reduximus ad classem relatorum 1. ob *subjecta*, vel extrema, nempe res differentes naturâ & definitione, ut sunt: natura *divina* τῦ λόγυ, & *humana*. 2. ob *fundamentum* h. e. intervenientem assumtionis actionem. 3. ob *relatum* quod est natura quæ refertur, & correlatum, quod est Natura ad quam refertur. 4. ob *terminum* eumq; geminum; *prior* est internus, & unius θεανθρώπυ constitutio; *posterior externus*, & salus generis humani.

26. Porro ad dilucidandam descriptionem sequentia notamus *Axiomata*: 1. *Vnio personalis est* μονότροπος, ϗ ἄῤῥητος h. e. *singularis & ineffabilis* 1. Tim. 3. v. 16. Hinc vocatur tremendissimum & novum sub sole à *Basilio & Damasc.* l. 3. O. F. c. 1. ac Miraculum à *Theodor. Rhetens.* lib. adv. hæres. 1. quia simile sub sole non reperitur. 2. quia causa ejus ab omni creatura absconditur. 3. quia omnem naturæ facultatem, & apprehensionem transgreditur.

2. *Vnio personalis est credenda non à termino à quo; sed ad quem* h. e. dicitur personalis, non

quod

quod duæ personæ sint unitæ, sed quod duæ naturæ ad unam personam, vel unum ὑφιστάμενον.

3. *Vnio personalis est tempore incarnationis peracta.* Octo namq; à Theologis actus in momento incarnationis expenduntur 1. Spiritus S. ἐπέλευσις super B. Virginem *superventus* 2. Massæ sanguineæ in locum generationis *deductio* 3. Ejusdem *sanctificatio* 4. Corporis ex eâ *formatio* 5. animæ *productio* 6. corporis *animatio* 7. utriusq; partis à filio Dei in hypostasin suam *assumtio*: & deniq; *Vnio*. Probatur ex Luc. 1. v. 31. 35. Joh. c. 1. v. 14. Gal. 4. v. 4. 1. Tim. 3. v. 16. Heb. 2. v. 14. 16.

4. *Vnio hypostatica est omnium arctissima, & distinctissima simul.* Utrumq; n. est de ratione unionis substantialis ac per se, *tùm* arctissima præsentia, *tùm* distinctio rerum unitarum. Ac ratione *illius*, unio hypostatica deprehenditur esse omnium longe *arctissima*. 1. Propter naturarum internam ac indissolubilem *præsentiam* ac *conjunctionem*: Quo n. arctior unio, eò major oritur rerum unitarum præsentia; adeò ut natura τῦ λόγυ extra humanam nec cogitari, nedum esse alicubi sine hac; salvâ unione personali, possit 2. propter exquisitissimam περιχώρησιν sive *immeationem*, quâ singula sunt in singulis, & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia explic. B. *August.* l. 6. de Trin. c. ult. Dari a. talẽ περιχώρησιν

inter duas Christi naturas, alibi evictum est, principio περιχωρήσεως ad solam Deitatem λόγου relato; quippe quæ omnia pertransit ac permeat, prout vult, ipsam verò nihil apud *Damasc.* l. 3. O. F. c. 7.

27. Sicuti verò ob περιχώρησιν essentialem supernaturalem in Trinitate una persona non est extra aliam: ita ob supernaturalem personalem una Natura in Christo nequit esse extra aliam, *Damasc.* d. l. c. 5. 3. propter unius ὑφισαμένου mutuam *constitutionem* ex divinâ & humanâ Naturâ, adeoq; unitatem personæ θεανθρώπου. Sicuti a. unitas essentiæ arguit unionem arctissimam in Trinitate; quâ arctior nulla datur; ita unitas personæ vel ὑφισαμένου, arguit unionem arctissimam in Christo, divinæ, & humanæ naturæ.

28. Huc pertinent formulæ illæ loquendi, quod unio facta sit ἀδιαιρέτως indivisè, ἀχωρίστως inseparabiliter, ἀδιαστάτως indistanter, ἀδιαλύτως indissolubiliter, ἀδιασπάστως, indivulsè; ἀπεριγράπτως, incircumscriptè, ἀμεταβλήτως intransmutabiliter vid. *Damasc.* l. 3. c. 2. 3. & 11.

29. *Deinde* quod Unio Hypostatica sit *distinctißima*, evincit ejus Majestas, cum quâ omnis confusio pugnat. Facta n. est ἀσυγχύτως inconfusè. ἀτρέπτως immutabiliter, ἀναλλοιώτως inalterabiliter *Damasc.* d. l. Ac proinde, ut

Naturæ

Naturæ; ita Naturarum propria à confusione, & mutatione mansère liberrima in unione hypostatica in Christo.

5. *Unio Hypostatica est perpetuæ durationis.* Quod n. λόγος semel assumsit, nunquam deposuit *Athanas.* Dialog. 4. ὁ ἑνώσας οὐκ ἀφῆκεν. Ideoq; nec in ipso mortis articulo rupta fuit, soluta interea, unione naturali corporis & animæ in Christo.

6. *Ob unionem Hypostaticam Christus θεάνθρωπος non est tertium quoddam, ac diversum à naturis suis; sed duæ illæ naturæ sunt unus Christus; & Christus duæ naturæ.* Non enim Christus est ἐξ ἑτέρων ἕτερον; ἀλλὰ ἐξ ἑτέρων τὰ αὐτά h. e. ex diversis diversum quid; sed ex diversis ea ipsa. *Damasc.* l. 3. c. 3. cum *Nazianz.*

7. *Unio Hypostatica non est sine vera, ac reali communicatione Hypostaseos, & Naturarum, & 3. proprietatum, & operationum;* ut jam dicetur: Siquidem ad unionem κατὰ συνδύασιν substantialem, rerum unitarum κοινωνία requiritur, sine quâ ne cogitari quidem potest.

De Qvinto.

30. Vox κοινωνίας multipliciter alias capi solet, nos heîc agimus de communicatione supernaturali, eaq; personali quæ per omnia talis est, qualis ipsa Unio: ex sententia *Nazian*-

zeni & *Damascent*. Sumi porrò hoc sensu solet vel 1. *causaliter* pro ipsa *unione*, & sic unio & communio æquipollent apud *Athanas.*ad *Epictet.* 2. vel *Consequenter* pro concomitantiâ unionis; & sic etiam à nobis consideratur, ac describitur: *Communicatio est unius proprii inter plura* subjecta distributio, & de eodem realis participatio: ob intervenientem συνδύασιν, vel unionem; citra ullam vel multiplicationem; vel transfusionem.

31. *Trium* a. breviter communicatio nobis erit eruenda.

I. Hypostaseos τȣ̃ λόγȣ sive subsistentiæ cum Humanâ naturâ assumta, quam alibi fusè probavimus; unde huc συντόμως adducimus argumenta, desumta 1. ab *unitate* personæ, quæ utrique naturæ communis evasit 2. à persona Christi *composita* 3. ab humanitatis *personatione* apud *Damasc.* l. 3. c. 2. 11. 27. 4. à *consecutione* τȣ̃ εἶναι ὑποστατικȣ̃ ab humana naturâ *Dam.* d. l. 5. ab humanitatis Christi *cooptatione* in consortiũ SS. Trinitatis. 6. ab humanitatis Christi *subsistentiâ* illocali. 7. ab *absurdo*, 1. quia Caro Christi esset merè naturalis 2. quia passiones carnis sibi appropriare λόγος non potuisset, negatâ communicatione Hypostaseos.

II. Naturæ τȣ̃ λόγȣ cum assumta humanitate 1. ex Joh. 1. v. 14. Col. 2. v. 9. 2. à propositionibus *personalibus*, in quibus concretum unius naturæ prædicatur de Concreto alterius

Naturæ

Naturæ, propter Unionem hypostaticam: Ut Deus est homo, & homo est Deus. uti a. prædicationes illæ sunt veræ ac reales: ita & communicatio. Referantur huc dicta, ex Matth. c. 16. v. 13. 16. Luc. 1. v. 35. Jer. 23. & c. 33.

III. Idiomatum seu *propriorum*: Est vero Communicatio Idiomatum, vera ac realis participatio propriorum divinæ, & humanæ naturæ in Christo θεανθρώπῳ facta, vel ab alterutrâ, vel utraq; naturâ simul denominato.

32. *Tres* a. communicationis Idiomatum gradus ex scriptura dari possunt.

33. *Primus*, in *quo propria naturarum communicantur realiter toti personæ in concreto, additis interdum particulis distinctivis, semper autem subintellectis. Tribus* igitur requisitis hic gradus à reliquis distinguitur. 1. requisitum est *Subjectum*, quod heîc est persona, Christus θεάνθρωπος 2. *reciprocatio*, siquidem propria naturarum ex æquo de persona prædicantur, ita nimirum; ut quicquid est per naturam proprium filio Dei; hoc omne per, & propter unionem personalem prædicetur de filio Mariæ: Et *contra*: Quicquid est per naturam humanam proprium filio Mariæ, hoc omne per, & propter unionem personalem prædicetur de filio Dei 3. *distinctio* per certas particulas ad evitandam confusionem, uti Naturarum; ita proprietatum.

34. Ad hanc classem pertinent Effata Joh. 6. v. 62. c. 8. v. 58. Act. 3. v. 15. 1. Cor. 2. v. 8. c. 10. v. 9. c. 15 v. 47. Joh. 3. v. 13.

35. *Secundus gradus*, in quo *divina Majestas*, *gloria*, & *potentia aßignatur Christo secundum naturam humanam*, *propter unionem hypostaticam*.

36. *Tria* etiam heîc dantur requisita, quibus hic gradus à primo, & postremo discernitur 1. *Subjectum* quod est Humana Christi natura. 2. *objectum* dona *infinita*, ac *increata* soli *Deo per essentiam propria*. Unde etiam intelligitur negatio reciprocationis; 1. quia Deitati nihil dari in tempore potest 2. quia provectio est assumti, non assumentis 3. *Causa*, per & propter quam facta sit communicatio *videl. unio hypostatica*.

37. Huc pertinent effata de *Omnipotentia*, potestate æterna omnis carnis, Dan. 7. v. 14. Matth. 11. 27. c. 28. v. 18. Joh. 17. v. 2. *Gloriâ* v. 5. *Omniscientia* Joh. 16. v. 30. c. 21. v. 17. *Omnipræsentiâ* potentiæ Dominii Psal. 72. v. 8. Psal. 110. v. 2. Eph. 4. v. 10. *Gratiosâ* Matth. 18. v. 20. c. 28. v. 20. Act. 9. v. 5. Gal. 1. v. 1. Apoc. 1. v. 13. c. 2. v. 1. *Gloriosâ* 1. Cor. 15. v. 28. de *cultu adorationis* Psal. 72. v. 9. Es. 49. v. 7. Psal. 45. v. 12. Psal. 97. v. 7. Heb. 1. v. 6. cap. 4. v. 15 16.

38. *Tertius* gradus, in *quo utraq; Natura in Christo agit quod sibi proprium est cum communicatione alterius*; apud Damasc. lib. 3. c. 15. & 19. Et heic *Tria* requisita deprehenduntur, quibus hic gradus à præcedentibus distinguitur 1. *Subjectum* h. e. *Christus secundum utramq; Naturam* 2. *objectum* quod est *actio* aliqua θεανδρικὴ s. Deivirilis, Officium Christi *propheticum*, *Sacerdotale*, ac *Regium* expri-

exprimens. & 3. *particulæ reduplicativæ* & copulativæ utramq; naturam respectu unius ac ejusdem ἀποτελέσματος conjungentes.

39. Quæ verò dicta huc pertineant, jam suprà dictum fuit, & ex sequenti disputatione patescet.

IV. Exegesis Antitheseos.

40. Puriori huic doctrinæ adversantur hæreses partim *veteres*; partim *renovatæ*: utrasque paucis dispiciemus, secundum seriem membrorum hactenus in Thesi propositorum.

41. *Veteres* hæritici oppugnarunt in Christo vel *Naturas*; vel *unionem*, vel *communicationem*, indeq; resultans *officium* θεανδρικόν.

42. Naturam *divinam* impugnantes præcedenti disputatione enumeravimus.

43. *Humanam* impugnarunt 1. ratione *Corporis* veri, *Cerdon*, *Marcion*, *Saturnini*, *Valentiniani*, *Marcus*, *Manes*, *Basilides*: 2. ratione *animæ*, *Arius*, *Apollinaristæ*, *Aëtiani*, *Eunomiani*, & *Anomæi*. 3. ratione *affectionum* & *proprietatum* *Monothelitæ*, & *Aphthartodocitæ*.

44. Unionem *veram*, & *arctißimam* negarunt 1. quotquot Deitatem aut humanitatem Christi impugnarunt. 2. *Nestorius* in *defectu* naturas separans, ut & *Samosatenus*: 3. *Eutyches* in *Excessu* Naturas, & proprietates confundens, cum *Gnaphæo*,

Severo, Acephalis, vel *Angelitis*, quos ante seculum imitatus erat *Schvvenckfeldius*.

45. *Communicationem* realem eadem operâ iidem hæretici negarunt.

V. MEMB.

46. *Renovati Hæretici* impugnarunt & adhuc impugnant vel Christi *personam*, vel *officium*, vel *status*.

47. *Personam* Christi impugnantes, hodierni hæretici 1. ratione *divinæ* naturæ sunt *Photiniani*, & *Anabaptistæ*, ex θεανθρώπῳ ψιλὸν ἄνθρωπον fingentes 2. ratione *humanæ* naturæ sunt *Schvvenkfeldiani*, & *VVeigeliani*, utrique *tàm* hi, *quàm* illi unionem hypostaticam, & communicationem negant veram ac realem, *tùm* actionum, *tùm* propriorum. 3. Ratione *unionis* hypostaticæ sunt *Pontificii*, & *Calviniani* tanquam Pilatus, & Herodes contra Christum conspirantes, hacq; in parte Nestorii errorem errantes. *Pontificiorum* quidem sententiam edisserit *Bellarm.* l. 3. d. Christ. c. 8. ubi carnem, ait, existere in verbo, ut *brachium* in corpore c. 4. fingit filium Dei factum esse hominem, vel verbum factum esse carnem, sicut *Aaron factus est Pontifex*, & *David* Rex: Conf. c. 15. 17. 18. ubi unionem definit per *sustentationem*, ac confert cum unione *globi solaris* sensu per omnia *Nestoriano*. Eadem sententia est *Calvinianorum*, quorum pleriq; fingunt unionem Hypostaticam esse *Accidentalem* ut *Martin.* in Exam. spicar. p. 49. Nec aliter possunt, salvis suis hypothesibus, ac similibus, ab *Antvverpiâ*, *Planetâ*, *Clavo*,

Clavo, *Puncto*, *Calamo* &c. petitis, iisq; ad carnem Christi applicatis. Hine negant unionem hypostaticam factã esse *ad unum* ὑφιςάμενον *Dan.* in Exam. Chem. p. 83. & quid sibi volunt termini *gestationis*, *sustentationis* carnis in hypostasi filii Dei? apud *Bezam* in Coll. Mompelg. p. 245. *Martyr*. dial. *Martin*. l. 2. de pers. Christ. p. 571. 572. *Fide pseudocathol.* l. 2. c. 5. p. 271. quicquid tandem prætexat *Bergius* disp. de pers. Christi c. 6. th. 78. 79. sed futiliter, uti suo loco responsum.

4. Ratione *communicationis* 1. *Hypostaseos*. *Pontificii* quidem videntur urgere communicationem *hypostaseos* *Bell.* l. 3. d. l. c. 8. *Busæus* contra *Gerlach.* c. 4. th. 35. *Becan.* Tom. 2. opusc. p. 259. sed quia excludunt ab hac communicatione *naturam & Idiomata* τȣ̃ λόγȣ; prius quod largiti sunt, postea subtrahunt. *Calviniani* etiam idem sentiunt vid. *Beza.* Colloq. Mompelg. ad th. 8. 9. p. 250. Resp. ad acta part. 1. p. 95. 96. 105. *Polan.* in syntag. l. 6. c. 16. p. 375. *Martin.* in Fide pseudocathol. l. 2. c. 5. p. 271. *Sachsius* in disqu. *Bergius* de persona Christi c. 4. th. 44. Solvunt itaq; unionem personalem cum *Nestorio*: sublatâ namque communicatione hypostaseos λόγȣ cum carne assumtâ; tollitur, ac evertitur unio hypostatica.

2. *Naturarum*, ubi *Pontificij*, & *Calviniani* ex æquo communicationem naturarum impugnãt vid. *Bell.* l. 3. d. Christ. c. 8. *Bus.* d. pers. Chr. th. 14. ubi *provocat ad consensum Calvinianorum*. Conf. *Bezam*, in colloq. Momp. Antithes. 8. & 9. p. 204.

250.

250.289.*Zanch.*lib.2.de incarnat.c.3.quæst.12.p. 459.*Dan.*in Exam.p.290.Par. Iren. p.265. Quò pertinet infelix illud *extra* naturæ divinæ, per seperationem ab humana, in Schola Calvinianorum. Qua in parte & *Nestorii*, & *Samosateni* errori favent.

5. Ratione *propositionum personalium*, quas *Iesuitæ & Calviniani* statuunt 1. *Identicas*, 2. *Essentiales*: apud Dn. Meisn. parte 2. sobr. Phil. s. 2. c. 2. quæst. 7. 8. vid. *Compilator*. Consens. cacodox. p. 18. & 123. Martin. in Menz. Antinuthet. c. 9. p. 118. *Fide pseudocat.* l. 2. c. 5. p. 279. 3. *proprias*, *regulares*, Gryn. in disp. d. Serm. incarnat. 4. *Verbales* uti Dan. contra *Chemn.* p. 295. *Neostad.* in admon. p. 68. Berg. d. l. th. 85. Negant *insuper*, *Christum quâ homo est*, *esse filium* Dei. *Pisc.* in not. ad amic. collat. *Vorst.* p. 191. in comment. super Luc. 1. v. 35. *Par.* in Iren. c. 28. art. 11. *Martin.* l. 2. d. pers. Chr. c. 17. p. 640. & *Menz.* *Antinuth.* c. 5. p. 75. 76. c. 10. p. 131. Berg. d. l. thes. 93.

48. Quibus opponi debet 1. ratio *unionis hypostaticæ*, cujus indolem refert tum communicatio; tum prædicatio verissima ac realis, singularis, mystica & inusitata. 2. *Vnitas* personæ θεανθρώπου, ubi filius hominis non est persona diversa à filio Dei. & 3. *dicta scripturæ* filiationem illam Dei evincentia quoad Carnem Christi, ut Matth. 16 v. 13. 16. c. 3. 17. c. 17. v. 5. Heb. 1. 8. ubi si quis negatum iverit, filium Dei secundum humanitatem esse proprium Dei filium, absurdè adoptivum cum *Elilpando* adstruere tenebitur.

6. Ratione

6. Ratione *communicationis* idiomatum; quam Pontificii cum Calvinianis iisdem armis impugnant vehementissimè, ac miserè exagitant. *Bellarm. Greg.* de *Valent. Busc.* &c. omnesque Calviniani. Hinc adeo factum, ut *Crypto Calviniani VVittebergenses*, disputationem *Iesuitarum Ingolstadensium* de communicatione Idiomatum suo calculo ceu orthodoxam approbarint, ac studiosæ juventuti commendarint, *VVitebergæ* recusam A. 1571.

49. In *primum gradum* utraq; cohors impingit cum *Nestorio*: propria humanæ naturæ neutiquam Dei filio realiter competere potuisse, contendens. Unde sequitur: Solam humanam naturam pro nobis fuisse passam.

50. In *Tertium* impingit cum *Paganis*, *& Photinianis*; opus redemtionis evacuando: Ille namq; nos redemit, quipro nobis passus & mortuus est: Atqui λόγος seu filius Dei, pro nobis non est passus, & mortuus, juxta sententiam adversariorum. E. nos non redemit. Ergo nondum sumus redemti: ad hoc enim, sola humana natura erat impar, utpote, infinitæ virtutis, opus.

51. Idq; eo magis, quia *secundum gradum* utrinq; impugnant, denegantes communicationem virtutis, ac reliquorum donorum Majestaticorum λόγου cum carne assumtâ. Denegata autem virtute divinâ carni Christi, negabitur de eâ, apotelesma salvificum ac θεανδρικόν. Quomodo etiam circa hunc gradum *Calviniani* faciant cum Arianis, alibi dictum est.

52. Colo-

52. Colophonis loco, imprimis notatu dignum est, circa *gradum secundum communicationis*: statum Controversiæ, à Calvinianis præsertim, mutatum esse. *Vetustiores* namq; Calviniani, & Sacramentarii, illo tempore aliter locuti sunt, atq; nunc loquuntur. Olim quippe humanæ naturæ in Christo *nullas alias proprietates*, conditiones, facultates, & prærogativas tribuere, & concedere volebant, quàm quæ in aliis naturalibus hominibus inveniuntur; uti Dn. *Chemnic.* in textu præsenti commemorat.

Neoterici v. contra hanc sententiam protestantur, præter dotes naturales, & communes cum aliis hominibus, etiam Gratiam habitualem adeoque dona *supernaturalia, & præternaturalia* assumtæ humanitati asscribendo, vid. *Zepper.* l. 3. d. Bapt. p. 226. *Trelcat.* p. 92. *Martin.* l. 2. Theol. c. 14. p. 629. *Admonit. Neostad.* p. 56. *Sadeel.* de verit. Human. Nat. &c.

53. Hinc & illa, quæ membro secundo de effectis unionis addunt nostri auctores: Calviniani cum Jesuitis ultrò concedent, *quod nimirum sicut per unionem caro Christi ultra, & supra omnes creaturas summæ illi personæ arctißimè unita est; ita eoipso accepit sine mensura infinitas, excellentes, & diviniores proprietates, quæ aliás nulli homini, nec ulli creaturæ, vel à naturâ insunt; vel unquam & divinitùs conferuntur.* Omnia inquam hæc Adversarii facilè concedent, imò hodie sic loquuntur, & publicè docent, si unicum terminum *infinita-*

tis

tis excipias, quem tamen illi in suo genere accipiunt, & pervertunt.

54. Videns hanc κύβειαν B. *Chemnic.* & versutiam adversariorum; stilum lib. d. duab. Nat. aliter posterioribus temporibus conformavit, ibidemq; inter carnis Christi dona discrimen triplex recenset, 1. quod *quædam* sint ipsi *Naturalia* 2. *quædam supernaturalia* & præternaturalia, creata tamen, quæ Scholastici per Gratiam habitualem exprimunt; & 3. *quædam* dona *supernaturalia, increata, & verè infinita*: de quibus propriè inter nos & Calvinianos controvertitur. *Illi priora* duo de carne Christi concedunt; *postremi* generis negant; Videl. *Beza* in colloq. Mompelg. p. 203. *Sadeel.* d. Ver. Nat. hum. in Chr. p. 208. *Dan.* contra Chem. p. 398. *Martin.* d. I. *Sachsius*, *Bergius*, & omnes Calvini gregales.

55. Nos v. præter duo illa, insuper *tertium* genus donorum de carne Christi affirmamus, ac paulo ante, & antehac alibi fusiùs probavimus.

56. Hæc etiam impræsentiarum sufficiant: de reliquis in posterioribus disputationibus monendi suppetet occasio.

δόξα τῷ θεανθρώπῳ.


Biblioteka Jagiellońska


Biblioteka Jagiellonska
stdr0012641

